



## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de  
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de  
Matrimonio

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniae Agrippinae, 1671**

[Præfatio.]

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)





# TRACTATUS SECUNDUS DE SACRAMENTIS IN COMMUNI

Ad quaestionem 60. Divi Thomæ, usque ad 66.

## PRÆFATIO.

**Q**UÆRITUR A sunt (AMICE LECTOR) quibus lex nova veterem & Ecclesia Synagogam superent, & quæ inter præcipuos redemptionis fructus recenseri solent. Sed vix ullum concessum hominibus beneficium maius agnovi Sacramentis, quæ Salvatoris fontes, canales sacros quibus cælestis gratia defluat, & Paradisi fecundas arbores nuncupare licet. Si Ecclesia cælum est, & quod oculis cernimus cælo præstantius, iure Sacramenta septem planetas dixeris, quibus cælestis hæc erroratio ad abluendos ac vegetandos animos proveniat; & nisi hæc Gentilium fabulas respererent, à quibus abstinendum Theologus imprimis censo, non esset admodum difficile, singulares cuiusque virtutes aut effecta, seu Luna innovandi vinum, seu Martis pugnandi fortitudinem, seu Veneris fecunditatem, ceteraque huiusmodi, ad nostra Sacramenta transferre. Nec à consuetudine forsitan & usu loquendi Patrum, plurimum abhorreret. cum nihil frequentius sit, Eucharistiam in medio instar Solis positam, ut cetera suâ luce perfundat. Sed erit collatio manifestior, & quam frequentius Patres usurpent, si quis Ecclesiam Paradisum dixerit; nam ut egregie Tertullianus lib. 2. contra Marcionem: Bonitas delicias adiecit homini, ut quamquam totius orbis possidens in amoenioribus moraretur, translatus in Paradisum, jam tum de mundo in Ecclesiam. At huius felicitatis Paradisi, loco arborum, Sacramenta collocata sunt. Inseruit (inquit Laurentius Iustinianus) in ea (scilicet Ecclesia) arbores & ligna, id est Ecclesiæ Sacramenta, quorum alimento nutrantur qui illic collocati sunt, & suaves usque ad delicias fructus decerpant. Nec sane minor in Sacramentis, quam paradisi arboribus varietas, quibus multiformis, seu ut alijs placet, multivaria Dei gratia profluat. Decurre ætates hominis singulas, per cense ætatis omnibus tuendis aut fovendis præsidia & remedia, seu primò producenda, seu post ortum augenda, seu post incrementum servanda natura sit; & hæc ad statum usumque animorum transfer, & sanè nullum, ut ita dixerim, anima statum aut ætatem perspicies, cui non suum Sacramentum paratum sit, aequè simili elemento petitur unde ætates hominum foveri solent, ut pene quibus vegetantur ac nutriuntur corpora, sanandis, curandisque animis, rebus eguisse Deus videatur. Nec aquam [inquit Tertullianus] reprobavit, quæ suos abluit; nec oleum, quo suos unxit; nec mellis & lactis societatem, quæ suos infantat, nec panem quo ipsum suum corpus representat, etiam in Sacramentis propriis egens mendicantibus Creatoris. Eximium hoc redemptionis munus, hac ultimâ parte, quæ jam finem aspicio, & brevi Theologia cursum absolvam, explico. Quid à me sperare debeas hac etiam tractatione, non dicam, cum nec ipse, ut puto, dubites, & certiora sint argumenta, quam ut conjecturus solum locus esse debeat, eandem doctrinæ securitatem, nec dissimilem explicandi methodum, quæ alijs paribus minimè defuit, non erit cur hac etiam parte desideres. Sed antequam hanc tractationem aggrediar, Lectori rem utilissimam, meoque instituto opportunam, me facturum existimavi, si qua definit Concilium Florentinum, de materia, forma, numero,

Libro de  
ligno  
vite.

Libro 1.  
contra  
Marcionem



## PRÆFATIO.

numero, & alijs qua ad Sacramenta pertinent, hic velut in exordio exscriberem. Cuiusmodi  
hæc brevem totius rei sacramentaria synopsim & compendium contineant, & necesse sit ad  
dem plura inde desumi, erit opinor pergratum Lectori, si eodem tenore quo definita sunt, libere  
reperiat, ne cogatur, si cum ipso textu conferre velit quæ occurrunt (& sane occurrunt plura  
frequentissimè) maximo sui studiij, atque dispendio, tomos ipsos Conciliorum perolvere, lo-  
terim dum ultimam Theologie manum impono, beneficij quo iam usus es, aut quod alius per  
usuram hanc opto, ut me tuis ad Deum precibus iuves. Vale.



SYNO-